

Et irresistibilem faciunt. Act. p. 730. thes. 17. Unde rursus constat neque ex Augustino, neq; ex ijs, qui, se illum sequutos, autumant, colligi posse, quod multis gratiæ appellationibus distinctas eius operationes declararint; sed quod involucris phrasium totam doctrinam de operatione gratiæ intricatiorem fecerint. De singulis suo loco; Hic de Causarum Mediarum primâ & principali.

CAPUT TERTIUM, DE INDEBITA DEI GRATIA, primâ Conversionis Causâ.

Σύνοψις.

I. Institutio & adhibitio mediorum salutis, est planè indebita. 2. Ejus causa meritoria est meritum Christi. 3. Arminiani volunt Deum teneri ex naturali equitate, ut hominibus omnibus media conversionis præbeat. 4. Opinionem suam verbis ambiguis incrustant, quæ evolvuntur; quid importet vox fæderis, & qui dicantur fæderati: Et jam non fæderatos ob incredulitatem damnari; respondetur ad dicta scripturæ in contrarium allata. 5. Ex naturâ justitiæ distributiæ inter homines, Deum vincire conantur, & gemina Eorum sententia proponitur. 6. Ratio prima, ab innovatione pacti, discutitur. 7. Respondetur ad dicta Scripturæ, quibus Arminiani probare conantur, innovatione pacti exspirasse reatum peccati originalis. Rom. 5, 25. Hebr. 8, 13. Jer. 31. 33. 8. Quo sensu lex fidei dicatur novum pactum. 9. Quomodo novum pactum novis promissionibus sancitum sit. 10. Altera Remonstrantium ratio: Adamum non habuisse vires credendi in Christum; igitur posteros ejus propter carentiam harum virium puniri non posse, sed teneri Deum, ut conferat illas, si punire velit; proponitur. 11. Consequentia negatur. 12. Rationes Sex, quæ pro antecedente parte afferuntur, diluuntur. 13. Tertia Remonstrantium ratio: impotentiam credendi esse pœnam à Deo inflictam; Igitur hanc pœnam pœnâ graviore puniri non posse, & c. expenditur. 14. Hujus rationis tres falsæ hypothèses convelluntur. 15. Prima: Deum ideò requirere fidem ab homine impotente, ut occasionem gravius puniendi habeat. 16. Secunda: Esse novam pœnam, in quam homines propter infidelitatem cadunt, ab eâ, in quam propter peccatum originale. 17. Tertia: Deum